



temporibus vim specialem habet et experientia docet, e. g. in Hollandia, quod perseverantia indeficiens hac in re non manet sine effectu.

*Conclusio.* Secundum meum iudicium bonum quidem est, si in hoc capite in pag. 6 dicitur: Libertas religiosa offenditur damnatione mortis propter rationes religiosas, spoliatione bonorum religionis causa, discriminatione hominum propter originem, colorem et sanguinem etc. Haec omnia vera sunt et tales iniustitias in multis regionibus deplorare debemus et a pluribus hominibus deplorantur. Iura autem quoad educationem proles fere in universo orbe violantur, sed haec violatio a paucis solummodo cognoscitur respective qua talis agnoscitur. Ideo valde utile esset si Concilium Vaticanum II in capite *de libertate religiosa* expresse et vehementer mundum appellare vellet de tolerantia quoad scholas et educationem iuventutis.

Preces ergo mea est, ut cap. V in hoc sensu suppleatur.

## 21

Exc.MUS P. D. IOSEPH VAIRO

*Episcopus Gravinensis et Montis Pelusii*

Cum in animo habeam, ad schema de Oecumenismo quod attinet, verba de cap. V, quod de libertate religiosa inscribitur, in aula facere, isti secretariae generali hanc rerum, quae dicturus sim, summam — ad normam praescripti Ordinis Concilii celebrandi — remittere curo:

Caput quaestionem satis gravem, difficilem et implexam, aggreditur, ex cuius solutione, prout proponitur, gravia certe improbanda consecutaria profluere possunt.

Ad quaestionem solvendam in capite duo afferuntur principia, quae non recte appellari exigentiae mihi videntur:

1. Iura veritatis — Dei nempe — sunt absoluta.

2. Conscientia ad ea quae religionem spectent nulla externa coactione cogi potest.

Quae principia omnino vera et optima sunt. In capite tamen desideratur concreta et cohaerens doctrina, quae harmonicam horum duorum principiorum synthesim constituat. Quinimmo, nedum haec duo principia congruenter componantur, haec gravia continentur pericula: 1. quaedam iustificatio ethicae situationis, quae dicitur; 2. negatio, ad veram religionem quod attinet, cuiuscumque momenti in ordine Civitatis iuridico.

## 22

Exc.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA

*Episcopus tit. Ombitanus*

1. In capite sermo est de libertate religiosa in sensu ethico respectu fratrum separatorum et in sensu politico respectu iurium cuiuslibet credentis in civitate. Oportet magis distincte proponere hos duos sensus.

2. Principium de conscientia invincibiliter erronea est principium tolerantiae tantum, oportet praeter hoc principium libertatis exponere etiam momentum



ipsius veritatis, cuius ope homo liber evadit secundum verba Domini « veritas liberavit vos ».

3. Oportet etiam aliter exponere relationem inter ordinem moralem naturae, ex quo iura personae in civitate promanant, et ordinem praecepti caritatis (in fine capituli).

23

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ZAK

*Episcopus S. Hippolyti*

Cf. pag. 808-809.

24

QUIDAM EXC.MI PATRES CONCILIARES

I. *Quoad schema in genere.* Asseritur evolutio organica et logica *in textibus magisterii ecclesiastici Pontificum* ac si asserta schematis confirmant.

Revera haec evolutio omnino abest, quia loci in schemate invocati et citati, ex textu et contextu interpretationem talem non admittunt.

*Argumenta.*

1. Pius XII nunquam loquitur *de libertate religiosa*, sed theoriam evolvit « tolerantiae » iis qui interfuerunt Conventui quinto nationali Italico Unionis Iureconsultorum catholicorum, die 6 decembris mensis a. 1953 (*A.A.S.*, 45 [1953], pp. 798 ss.). En praecipua capita:

a) *Sic dicta « auctorizatio » erroris vel mali nunquam concedi potest:* Ait Pius XII: « Nessuna autorità umana, nessuno Stato, nessuna Comunità di Stati, qualunque sia il suo carattere religioso, possono dare un mandato positivo o una positiva autorizzazione d'insegnare o di fare ciò che sarebbe contrario alla verità religiosa o al bene morale... Nessuna autorità potrebbe darli, perché è contro natura di obbligare lo spirito e la volontà dell'uomo all'errore e al male, o a considerare l'uno e l'altro come indifferenti. Neppure Dio potrebbe dare un tale positivo mandato o una tale positiva autorizzazione, perché sarebbe in contraddizione con la Sua assoluta veridicità e santità ».

b) *Tolerantia « prudentialis » admittenda est.* Ait Pius XII: « Un'altra questione essenzialmente diversa è: se in una comunità di Stati possa, almeno *in determinate circostanze*, essere stabilita la norma che il libero esercizio di una credenza e di una prassi religiosa o morale, le quali hanno valore in uno degli Stati-membri, non sia impedito nell'intero territorio della Comunità per mezzo di leggi o provvedimenti coercitivi statali.

In altri termini, *si chiede se il « non impedire, ossia il tollerare, sia in quelle circostanze permesso, e perciò la positiva repressione non sia sempre un dovere ».*

Bene notandum quod, ad mentem Pii XII, « non impedire », idem sonat ac « tollerare ».

Sub hoc respectu quaeritur: « Può Dio, sebbene sarebbe a Lui possibile e facile di reprimere l'errore e la deviazione morale, *in alcuni casi* scegliere il « non impedire », senza venire in contraddizione con la Sua infinita perfezione? Può darsi che *in determinate circostanze* Egli non dia agli uomini nessun mandato, non imponga nessun dovere, non dia perfino nessun diritto d'impedire e di reprimere ciò che è erroneo e falso? ».